

transeuntes Galli mirantur non sine pudore, dum se moresque suos cum barbaris comparant. Peracto sacro discedunt, si dies profestus, ad opus domi, aut ruri, faciendum. Vespare, obeunte sole, datur preca-  
tioni Signum. Conveniunt omnes in facellum, ubi pro toto communiter pago preces funduntur: suas privatim domi familia quæque facit, quibus absolutis, sanctissimas Christi plagas pio singuli venerantur osculo. Eadem est dierum festorum ratio, ac profes-  
torum, si laboriosum opus excipias; [quod sanctitas festæ lucis excludit.] Intersunt cuncti mane sacri-  
ficio, quod in gratiam totius pagi celebratur: fere omnes dant operam alteri sacerdoti facienti, nec pauci tertio, cum ejus est copia. Dum res divina omnium prima fit, quæ Missionis Missa dicitur, sacra Cantica vernaculo conscripta sermone, et festis, quæ tunc celebrantur, accommodata cantant, pulcherrimo concentu et minime barbaro. Sub meridiem conve-  
niunt in sacellum ad Vesperas, quæ concinendis pariter piis canticis continentur. In iis porro canticis numeros et modos Ecclesiastica præscriptos lege, et in Europæis usurpari solitos templis adhibent. Ad vitandum autem otium, quo maxime vitio barbari laborant è viris alii flumen petunt ad fallendos hamo doloso pisces, alii sectantur feras in vicina sylva. Omnes unâ, prius quam sol occumbat, horâ recipiunt se in sacellum ad serotinas preces obeundas, et audi-  
endam concionem. Majoribus festis nullus è pago post vespertas discedit; interim ne sit otio locus